

tinæ terminos novit. Ferre non possum : Cl. Schannatum statim omnia immediate subjicere Fuldensibus, quæ illi pedibus tantum suis vel una vice tetigerunt. Nec jam adeo irascor Auberii insolentibus pro Galliæ Rege editis Prætensionibus, cum longe insolentiores a Schannato pro Ecclesia Fuldensi excusas esse videam.

LIII. *Monasterium Rora S. Michaeli dicatum sub regimine Monasterii S. Bonifacii constitutum fuisse Rabano Abbatii Tradit: Fuld. cap. CCCXCI. hoc afferenti credo; sed Dioecesi ideo Wirceburgensi subtractum, nego. Situm enim erat in ditione Hennebergica et Pago Grapfeld. Et Wolfgarius Episcopus ibi decimas, Dioecesis signum, habuit, a quibus anno DCCCXV. ad Rore servos solum Abbatis Ratgarii exemit, ut ipse Cl. Schannatus in Buchonia vetere p. 398. agnoscat.*

LIV. *Teutlebiense in media Thuringia Monasterium Gertrudis quædam construxit et una cum bonis suis Ecclesiæ Fuldensi donavit, voluitque ut post obitum suum in eo dignam Abbatissam constituerent Fulenses. Regimini ergo iterum Fulensem hoc Monasterium, nec tamen immediate submissum fuit. Nec Cl. Schannatus probat, id unquam Fulenses receperisse.*

LV. *Tulbam locum antiquissimum esse agnosco. Jacebat in Pago Salagevve, ut Traditio Fuld. CVIII. anno 795. facta et aliae demonstrant. Pagus hic in temporalibus Regi, in spiritualibus Episcopo Wirceburgensi suberat, ut jam dictum est. Tulbam speciatim ad Dioecesin Wirceburgensem perburgenfis, tinuisse evincit concessio Wolfgarii Episcopi de decimis quibusdam Ratgario Abati anno 815. facta. In ea enim dicitur, dedisse Wolfgarium Ratgario, inter alias decimas, etiam eas in villa quæ dicitur Munirihhasstat, quod constat ex suis propriis aratis, exceptis servorum suorum: simili modo in villa vocata Rootmulti; ad Bunahu, ubi Ecclesia ædificata est; similiter in Tulba, ubi illa nova Ecclesia ordinata est. Ratio igitur, cur decimas Wolfgarius Ratgario dederit, fuit, quod Fulenses in bonis a piis sibi hominibus donatis ecclesias exstrui curassent, aut ipsi exstruxissent, ad quarum sustentationem aliquid decimarum concedi, æquum erat. Excipit tamen Episcopus servos in his locis suos, ex quo apparet, eum horum locorum non solum Episcopum, sed et dominum fuisse, si aliqua excipias, quæ ibi Fulda naœ erat. Sub Dioecesi igitur Wirceburgensi Tulba fuit, atque etiam sub domino; et vestigia inde adhuc restant, quæ aliis demonstranda relinquo. Seriem Præpositorum Cl. Schannatus ubique sedulus pro viribus nobis patefacit. Sed vellem viros aliquos inter eos nobis designasset in Ecclesia, re-publica, aut studiis publice claros. Hæc enim annotari, cætera floccipendi merentur. Interea tamen symbola hic aliqua, licet non magni pretii, adjicienda est ejus catalogo Præpositorum. Dicit pag. 191. Erphonem Præpositum Tulensem anno 1294. ab Henrico Abate Fulensi facultatem obtinuisse de fundis clientelaribus, quos a Rudolfo et Conrado de Erthal fratribus recenter acquisiverat, pro lubitu disponendi. Addit, hujus Erphonis adhuc mentionem facere literas emphiteuticas annorum 1302. et 1307. Has non novi nec quid contineant, scio; habeo tamen in manibus autographas literas, quibus conventus in Tulba promittit, se cujusdam Bertoldi Prel obitus diem quotannis ob certa benefacta commemoraturum. Incipiunt: Nos Rupertus Præpositus, Beatrix Abbatissa, totusque Sanctimonialium*